

1773, 42.

42

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
SALVIANO INTERDICTO
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOSIA LVDOVICO ERNESTO PÜTTMANNO
I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORD
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
V T A D I T V M
A D
SVMMOS VTRIVSQVE IVRIS HONORES
S I B I A P E R I R E T
— DISCEPTATIONI ERVDITORVM PVBLICAE
A. D. IV. NOVEMBR. MD C CLXXIII
H. L. Q. C
P R O P O S I T A
A
PHILIPPO HENRICO LASTROP
H A M B U R G E N S I



LIPSIAE, EX OFFICINA LANGENHEMIÄ.

DESCRIPTIO MAGISTRALIS
CARTARUM INTEGREO
CARTARUM INTEGREO
CARTARUM INTEGREO
CARTARUM INTEGREO
CARTARUM INTEGREO

VIRIS
PERILLVSTRIBVS
MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,
PRVDENTISSIMIS
S A C . R O M . I M P
LIBERAE REIPVBLICAE
H A M B U R G E N S I S
PATRIBVS CONSCRIPTIS
CONSVLIBVS, SYNDICIS
RELIQVISQUE
SENATORIBVS
LIBERTATIS
PROMOTORIBVS ET DEFENSORIBVS
MERITISSIMIS
MAECENATIBVS INDVLGENTISSIMIS

HANC DISSERTATIONEM
SVMMAE PIETATIS
OBSTRICTISSIMIQVE ANIMI
MONVMENTVM
CVM
OMNIGENAE PERPETVAEQVE FELICITATIS
VOTO
EX ANTIQVO RITV
MORE QVE MAIORVM
VENERABVNDVS
D. D. D.
TANTIS NOMINIBVS
ADDICTISSIMVS
PHILIPPVS HENRICVS LASTROP



C A P V T I.

De interdictis nonnulla generatim.



Bene CICERO in *Or. post redit.* cap. 6. Ego,
inquit, in qua ciuitate — omnis esset impu-
nitas, nulla iudicia, vis et ferrum in foro versa-
rentur, cum priuati se parietum praesidio, non
legum tuerentur, — rem publicam esse nullam putau. Quam
misere enim quaeſo viuitur in ea ciuitate, in qua, vt EN-
NIVS apud GELLIVM XX. 10. ait,

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res, —

Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,

Miscent inter ſe inimicitias agitantes.

Non ex iure manum consertum, sed mage ferro

Rem repetunt, — vadunt ſolda vi.

❖ ❖ ❖

Recte adeo in *Or. de libertatis praefidio, iure ciuiti, ostendit*
IO. CONR. RÜCKERVS, in legum seruitute iustum liber-
 tam confidere, verissimamque esse, et in omnium menti-
 bus alte desigendam praeclararam **CICERONIS** (*pro Client.*
cap. 53.) vocem: *Legum idcirco omnes serui sumus, ut liberi*
esse possimus. Docet autem quotidiana fere experientia, nul-
 lis in controv ersiis citius, quam in iis, quae de possessione
 mouentur, vulnera infligi, plagas inferri, caedes committi,
 idque vel propter maxima, quae possessione praestat, com-
 moda atque emolumenta. Pertinet eo, quod in pari causa
 melior sit conditio possidentis, proque possidente in dubio
 pronunciandum, quod item possessori priuata auctoritate in
 possessione se tueri, ac deiicientem confessim iterum deiicere
 liceat, nec non quod possessor rem iusto titulo per tempus
 lege definitum possessionam vscucapione suam faciat, et, si in b. f.
 sit, fructus perceptos lucretur, neque titulum possessionis ede-
 re aut probare necesse habeat, de quibus aliisque possessionis
 effectibus ad tit. *D. de adqu. vel amitt. poss.* latius solent expo-
 nere interpretes.^{a)} Haud ineleganter possessionis commodum
 contra **PHILIPPVM AVGVSTVM** Regem Franciae comes
 Flandriae vrget apud auctorem *Philippidos Lib. II.* ^{b)}.

Jusque mihi defendit in his possesso sola:

Nam possessorem compelli dicere, quo rem

Possideat

a) Apposite **JU STINIANVS** in §. 4. I. de interd. *Quia longe*
conmodius est, possidere potius, quam petere, ideo plerumque et fere
semper ingens existit contentio de ipsa possessione. *Conmodius autem*
possidendi in eo est, quod etiam si eius res non sit, qui possideret, si modo
actor non potuerit suam esse probare, renonet suo loco possesso. *Pro-*
ppter quarum causam, cum obscuram sunt utriusque iura, contra petitorem
iudicari soleat. *Conf. BODINVS* de beatitudine iuridica.

b) Est is **GVL. BRITO**, cuius *Philippidos Lib. XII.* sunt in **FR.**
DU CHESNE Script. Hist. Franc. T. V. p. 93.

*Possideat titulo, nimis incivile videtur,
 Nec tamen haec nobis erat allegasse necesse,
 Cum res a dominis liceite data sit mihi veris.
 Sic bona nempe fides, titulus sic iustus ab omni
 Excusat culpa nostri fundamina iuris.
 Nec tibi ius nescire licet, quo nemo sibi rem
 Iustae collatam sine culpa amittere debet.*

Cum autem ad reuocandam possessionem rei vindicatione
 usuero multae plerumque ambages, difficultates multae obici-
 tantur, quid utilius, quid ad publicum commodum fru-
 etuosius Romani excogitare potuissent interdictis, quorum
 ope ciuibus celeri reformatione aut redhibitione succurritur
 atque consulitur, *I. 14. C. de agric. et cens. I. 4. C. Th. unde vi.*
 Cur enim, ut eleganter **IVLIANVS** apud **VLPIANVM**
 in *I. 13. §. 3. D. de usufr. ad arma et rixam procedere patia-
 tur praetor eos, quos potest iurisdictione sua componere?*
 Erant autem, ut **IVSTINIANVS** in *Pr. I. de interdict. scri-
 bit*, interdicta olim formae atque conceptiones verborum, qui-
 bus practor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod
 tunc maxime faciebat, cum de possessione aut quasi possessione inter
 aliquos contendebatur, seu, ut melius **THEOPHILVS** *L. IV.*
*T. 15. Ιντερδίκτον δέ ἐσιν ὄμιλοι πραιτώρων μεταξὺ δύο τι-
 νῶν περὶ νομῆς ἢ ὀπανεὶ νομῆς ἀγωνιζομένων γνωμένη, οὐ τέμ.
 νεστα τὴν ὑπόθεσιν, οἷλα δύναμις ζευστα τὸν δικαστὴν, δπως χρὴ
 κρίνειν περὶ τῆς ὑπόθεσεως.* Interdictum est Praetoris dictum
 inter duos aliquos de possessione aut quasi possessione litigan-
 tes pronuntiatum, quaestionem non dirimens, sed iudicem
 influens, quomodo de quaestione iudicare oporteat, quo lo-
 co nixus **IAN. A COSTA** ad *pr. I. h. t. interdictum ait*
 esse ὄμιλον, i. e. effatum seu sermonem praetoris inter-
 loquen-

* * *

loquentis inter duos de iure possessionis contendentes, quo nempe iudicem, quem de quaestione facti dat, instruit et informat, quomodo in hac controuersia cognoscenda et iudicanda se gerere debeat.^{c)} Quae si vera sunt, ut sunt sane verissima, interdictum nihil aliud olim fuit, quam ēvēθpōs seu instructio et informatio futuri de possessione iudicii, errantque magnopere, qui nullas hic iudicis partes fuisse sibi persuadent, quosque refellit *I. 15. §. 7. D.* quod vi aut clam. Officio autem iudicis ita oportere fieri restitutio-nem, iudicandum est, et *I. 21. D. eod.* Si opus, quod quis ius-fus est a iudice, qui ex hoc interdicto sumitus esset, restituere, rel. Quae quidem faciunt, ut non possim non adstipulari
 IAN. A COSTA *I. c.* bene monenti, non esse admittendam differentiam, quae vulgo traditur ab interpretibus, quasi scilicet actioni tantum addictus fuerit iudex, interdicto non item, sed de hoc solus praetor cognouerit, propterea quod hanc

c) Interdicit autem non modo praetor, cum interdictum dat, aut aliquid imperat, sed interdicere interdum etiam est interdicto ut experiri. *I. 3. §. 6. D.* uti possidet. Conf. BRISSON, de V. S. p. 646. Atque ita hoc verbo vtitur QUINTILI&N. Inst. Orat. III. 6. Non debuisti interdicere, sed petere, vbi male TURNEBUS (T. I. pag. 257. edit. Burman.) tñ interdicere explicat interdictum ferre, quod nibili est. Vid. LEYSER Sp. 498. Med. III. Eodem pertinet formula: ad interdictum venire, i. e. interdicto agere, apud FESTVM p. 358. edit. Dacer. Itaque in legitimis actionibus nemo ex his, qui possessionem suam vocare audet, sed ad interdictum venit, ut praetor his verbis vtar: Vti nunc possidetis, cum fundum Q. D. A. quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, ita pos-fideatis: aduerfus ea vim fieri vto, nec non apud PETRONIVM cap. XIII. Exhilaratus ego, non tantum quia praedam videbam, sed etiam, quod fortuna me a turpissima suspicione dimiserat, negauit cir-citu agendum, sed plane iure ciuili dimicandum, vt, si nollet alienam rem domino reddere, ad interdictum veniret. Interdicte autem pro interdicione vtitur HORATIVS Serm. II. 3. 217.

— — interdicto huic omne admittat ius
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.

hanc sententiam facile refellit THEOPHILVS, cum docet, praetorem verba quaedam pronunciare, quae item non dirimunt, sed eos, inter quos de possessione aut quasi possessione controuerita est, remittunt ad pedaneum iudicem, qui de controuersia cognoscat. Verba THEOPHILI l. c. haec sunt: Ήντινα τοινυ περὶ νομῆς ἡ ὥσπερ νομῆς μεταξὺ δύο των γίνεται Φιλονεμία, ἀπέρχονται πρὸς τὸν πράτιτωρα, τοῦτο ἀντῷ διηγούμενοι, ἐπειδὴ συμβαῖνει πολλάκις, περὶ Φόνως πλημμελεῖσθαι, περὶ τραύματα ἐπάγεσθαι, περὶ πληγὰς ἐπι-Φέρεσθαι ἐν ταῖς τοιωταῖς Φιλονεμίαις, περὶ διηγούντων τῷ πράτιτῳ τὸ γεγονός: ὁ δὲ λέγει μεταξὺ αὐτῶν ἔμματά τινα, οὐ τέμνων τὴν ζήτησιν, ἀλλὰ παραπέμπων αὐτές χαραδικα-σῆ, ἀποστῆ γενησομένω τῆς μεταξὺ αὐτῶν Φιλονεμίας. Quando igitur de possessione aut quasi possessione inter duos aliquos controuersia oritur, ad praetorem abeunt, hoc ei exponentes, quia saepe accidit, ut caedes committantur, et vulnera infligantur, et plagae inferantur in huiusmodi controuersiis, et factum praetori enarrant; is autem inter illos quaedam verba dicit, non dirimens quæstionem, sed ipsos remittens ad iudicem pedaneum, cognituru-rum de controuersia inter eos, vbi vide, quae contra HOTO-
MANNVM, male hic THEOPHILVM reprehendentem, re-
ete monuit REITZIVS in not. p. 889. Neque contemnenda
videtur E. V. OTTONIS ad Pr. I. h. t. sententia, praeto-
rem scilicet, quando reus interdicto non paruisse, in re aper-
ta effatum suum manu militari executum esse, in re dubia
autem et altioris indaginis iudicem pedaneum, coram quo
iure ordinario litigaretur, addixisse. Nomen interdicto-
rum unde dictum sit, non vna qua veterum, qua recen-
tiorum sententia est. IVSTINIANVS l. c. ait: Sunt ta-
men, qui putant, proprie interdicta ea vocari, quae prohibitoria
sunt, quia interdicere est denunciare et prohibere: restitutoria au-
tem et exhibitoria proprie decreta vocari. Sed tamen obtinuit,

* * *

omnia interdicta appellari, quia inter duos dicuntur ^d). Quocum conuenit vetus Glossarium graecum, quod citat B A R N, BRISSONIVS de V. S. p. 647. Interdictum διαλεγόμενον μεταξύ δύο ἀμφισβητούντων περὶ νομᾶς: interlocutio inter duos, de possessione disceptantes. A E G. M E N A G I V S Amoen. I. C. Cap. 39. autem verba quia inter duos dicuntur addititia esse putat, non quia inepta sit, inquiens, etymologia, alias enim non meliores legere est apud autores iuris: sed quia Imp. cum superioribus pugnantia loqueretur: supra enim dixit, proprie interdicta ea vocari, quae prohibitoria sunt, quia interdicere fit denunciare et prohibere: quae est vera vocis originatio. Ego, et si originationem a IVSTINIANO suppeditata haud probo, tamen verba illa tamquam falsa atque supposititia plane in exilium mittere religioni mihi duco, maxime cum IVSTINIANVS ipse haud auctor sit, interdicta proprie ea vocari, quae prohibitoria sunt, sed tantum scribat, esse, qui ita existimat, neque adeo pugnantia loquatur Imperator, ut in ENAGIO præter rationem visum est. ISIDORVS Orig. V. 24. interdictum esse ait, quod a iudice non perpetuum, sed pro reformato momento ad tempus interim dicitur, salua propositione actionis. His similia legimus apud ANIANVM ad PAVLI Sent. Rec. L. V. T. 6. f. 1. Interdicta dicuntur, quasi non perpetua sententia, sed ad tempus interim dicta, hoc est, a iudice momentum

i. e.

d) Quo loco pro *inter duos* ANDR. ALCIATVS Parerg. L. III. c. 15. in quibusdam codicibus se inueniunt testatur *interim*, quod haud displices CHASSANAE Paratit. Inst. Lib. IV. tit. 15. propter ea quod interdicta plerumque sint de possessione; et temporiam tantum possessionem adjudicent, l. i. §. fin. ff. de aqua quoq. et aest. finitaque interdicti causa quaestio proprietatis, quae in l. fin. C. quor. honor. secunda actio dicitur, remaneat. *Interdicere* pro *interim* edicer possum ALCIATVS l. c. putat etiam apud AVCT. ad Herenn. L. II. n. 15. Verum horum pueriles opiniones rectissimis rationibus, cum voles, refellamus. In praesenti haec interdicere non alienum fuit.

(i. e. possessionem) priori reddente (ita enim pro vulgato redere recte coniecit Rittershusius) possessori. Ast cum haud interim dicta, sed interdicta vocentur imperiosa illa praetoris decreta, non vtimur nos ISIDORI, quiq[ue] illum sequetus videtur, ANIANI sententia. Superest tertia, eaque communis doctorum opinio, cui etiam adstipulatur EV. OTTO ad I. l. c. Vera, inquiens, vocis origo est ab interdicere, id est, cum imperio et auctoritate prohibere; sic enim Cato vocem usurpauit: donicum ille tibi interdixit rem capitalem, et praetor in formula, qua prodigum declarabat, hancque notationem firmare videntur verba IUSTINIANI: Sunt tamen, qui putant, proprie interdicta ea vocari, quae prohibitoria sunt, quia interdicere est denunciare et prohibere. Neque negandum, vulgarem hanc r̄t̄ interdicere significatum, vt cum dicimus aqua et igni, bonis, foro, commercio, negotiatione, advocacyone, ordine, vrbe, prouincia, patria interdicere, de quibus formulis conf. BARN. BRISSONIVS de V. S. p. 646. Nescio tamen, cur non r̄t̄ interdicere pro imperare etiam accipere possimus. Ita sane hoc verbo ipsum praetorem usum esse fidem facit VLPIANVS in I. i. D. vt in flum. publ. Praetor ait — ut per lacum, fossam, stagnum publicum navigare liceat, interdicam, vbi profecto haud prohibere, sed imperare significat. Nec aliter c. c. in Or. pro Caccina, n. 23. P. Dolabella praetor interdixit, vt est consuetudo, de vi hominibusque armatis, sine villa exceptione, tantum vt, unde deieceretur, restitueret: ARNOBIVS item adu. gent. Lib. II. de CHRISTO loquens: Quisquamne illorum aliquando verbo uno potuit — feruunculum, scabiem, aut inherentem spinulam callo, una interdictione (i. e. uno verbo imperioque) sanare? Atque ita hunc locum dudum recte exposuisse mihi videtur SCIP. GENTILIS de iurisdict. Lib. I. c. 30. idemque in nou. lingua et erud. Rom. Thes. a I. M. GESNERO edito sub v. interdi-

etio adnotatum inuenio. Neque displicet, quod s.c. GENTILIS verba illa CATONIS: cum otiosus apud regem fuisti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem, ita, vt facinus aliquod a rege imperatum exprimant, exponit, interdictaque certa et velut imperiosa praetoris decreta adpellat. Quae si placet interpretatio, sat scio displicebit illorum sententia, qui, VT IUSTINIANVS scribit, proprie interdicta ea tantum, quae prohibitoria vulgo dicuntur, restitutoria autem et exhibitoria decreta vocari sibi persuadebant, et rationem iam inuenimus, cur generali interdictorum nomine omnes illae formae, atque verborum conceptiones, seu praetor aliquid fieri iubeat, seu fieri prohibeat, comprehendantur. Iam interdicta in prohibitoria, restitutoria, et exhibitoria, item in ea, quae adipiscendae, quae retinendae,^{e)} quae denique recuperandae possessionis causa comparata sunt, diuidi, in vulgus notum est, neque huius discriminis vel verbo mentionem iniecerem, nisi in mentem mihi venissent, quae eandem distinctionem exprimunt, verba AVSONII in Griph. v. 63.^{f)}.

Interdictorum trinum genus: unde repulsus

Vi fuero, aut utrobi fuerit, quorumque bonorum.

vbi quidem, morem veterum, rem ipsam exemplis^{g)} ex-
primendi,

e) Interdictum uti possedetis Galli vocant *la complainte en eas de faifne et de nouvelleté*, quemadmodum agere interdicto unde vi ipsis est intenter le cas de la reintegrande. Vid. ALEX. CHAS. SANAEI Paratit. I. c.

f) Gribus, vt hoc obiter notem, proprie est rete pectoriorum, metaphoram autem significat aenigma, s. obscuram intellectusolutu- que difficultem quaestionem. Subtilem rationem explicat EDM. MERILLIVS Obs. L VI. c. 34.

g) De definitione per exempla vid. NOODT de iurisdict. L. I. c. 2.
et 4.

primendi, securus verbis *vnde repulsi* vi fuero interdicta recuperandae, *tois utrobi* fuerit retinendae, verbis quorumue bonorum autem adipiscendae possessionis interdicta indigtauit.

Ceterum et si **V L P I A N U S** in *I. 1. §. 3. D. de interd.* scribit: *Interdicta omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt, excipendum tamen interdictum de itinere actaque priuato, teste eodem in *I. 3. §. 13. h. t.* Itaque qui hoc interdictio utitur, duas res debet docere: et hoc anno se usum, et ei seruitutem competere, neque praetereundum, quod tradit **P A V L U S** in *I. 2. §. 2. D. de interd.* Quaedam interdicta rei persecutionem continent, veluti de itinere actaque priuato: nam proprietatis causam continent hoc interdictum. Sed et illa interdicta, quae de locis sacris et de religiosis proponuntur, veluti proprietatis causam continent. Item illa (de liberis exhibendis) quae iuris tuendi causa diximus competere, ut non sit mirum, si quae interdicta ad rem familiarem pertinent, proprietatis, non possessionis causam habeant. Haud subscribimus autem **C O R N. V A N E C K**, quando *Thef. iur. controu. p. 164.* possessionem speciem iuris in re esse existimans, iudicia possessoria non actiones in personam, sed in rem, verbaque illa **V L P I A N I** in *I. 1. §. 3. D. de interd.* non de actionibus, sed de conceptis interdictorum formulis et decretis, super possessione datis, accipienda esse contendit. Neque placet, quod **O R T W. W E S T E N B E R G**. in *Princ. Jur. sec. ord. Dig. Lib. 43. T. I. §. 16.* scribit: *interdicta in rem sunt, quae descendunt ex iure in re, qualia sunt quorum bonorum, quod oritur ex iure hereditatis, et Salianum, quod oritur ex iure pignoris, nec non uti possidetis et utrobi, quae descendunt ex iure possessionis: sed HEINECCIO potius in Elem. I. C. sec. ord. Pand. P. VI. §. 287. omnia interdicta (vnico illo de itinere actaque priu. excepto,) in personam concepta esse contendenti adstipulamur, maxime cum, neque**

interdictum quorum bonorum ex iure hereditario, neque Saluianum ex iure pignoris esse, dudum recte docuerit vlr. H V B E R V S in *Praelect. ad Inst. I. IV. T. 15.* p. 452. Ceterum nouissimo iure interdicta non amplius redditur a praetore solleminibus verbis, neque ex interdictis redditis conceduntur actiones, sed sine interdictis ad exemplum corum dantur actiones in factum. Audi Imp. A R C A D. et H O N O R. in *I. 4. C. de interd.* Si quis quodlibet interdictum efflagitet, ruptis veteribus ambagibus, inter ipsa cognitionum auspicia actionem exprimere, ac suas allegationes ubeatur proponere, et I V S T I N I A N U M in *J. 8. I. de interd.* De ordine et vetere exitu interdictorum supervacuum est hodie dicere. Nam quotiens extra ordinem ius dicitur, (qualia sunt hodie omnia iudicia) non est necesse reddi interdictum, sed perinde indicatur sine interdictis, ac si utilis actio ex causa interdicti redditum fuisse, eandemque ob causam idem l. e. pr. ait: sequitur, ut dispiciamus de interdictis, seu actionibus, quae pro his exercebentur, quod etiam prae se fert Tit. Dig. de Interdictis, sive extraordinariis actionibus, quae pro his competitunt. Passim interdicta etiam actiones vocari, iam obseruauit B. B R I S S O N I V S de *V. S. p. 647.* cui iunge I A N. A C O S T A *Inst. p. 595.* ed. van de Water.

Non finiam hoc caput, antequam duo interdictorum in causa publica exercitorum exempla, eorumque unum ex vetere historia, ex recentiore alterum, protulerim. Primum suppediat SPARTIANVS in vita Pescennii Nigr. cap. 2. (edit. Hackian. T. I. p. 645.) Par denique, inquiens, *insania* fuit, quod cum Seuero ex interdicto de imperio egisse fertur, ut iure videretur ad principatum peruenisse: seu, ut SALMASIUS h. l. in Cod. Palatino se inuenisse testatur: ut iure videretur imperium praeuenisse, i. e. prior ad imperium venisse. Alterum ex HORTLEDERO de Cauf. B. G. L. IV. c. 29. refert

fert IO. SCHILTERVS Exerc. ad Pandect. III. §. 23. his verbis: *Cuius rei illustre exemplum praebuit causa superiori seculo in comitiis Ratisbonae anno 1541. coactis inter nobilem familiam Trottinam, et Henricum ducem Brunowic. agitata de Eva Trottina, quam ille in gynaecium receperat, et sepeliri fecerat, sed, uti accusabatur, simulata.* Agebant scilicet agnati pueri illius venustulae interdictio de libero homine exhibendo, quod, uti notum, cuius ex populo datur, petebantque, ut Imperator aut mortem Euae Trottinae^{h)} demonstrare, aut exhibere ipsam iubeat. Nec silentio praetereundum, quod scribit s.c. GENTILIS l. c. *Similia interdictis mili- hodie videntur mandata illa in Camera Imperii, quae sine clau- fula adpellantur, quibus tamen varie fraus fit, et est communis illa comparata exceptio, quam subreptionis et obreptionis appelle- tant.* Denique interdicti mentio etiam sit in iure Pontificio, e. g. in c. 2. X. de his, quae sunt a mai. part. Est autem interdictum ecclesiasticum poena, qua certus personarum numerus, aut certa regio diuinis priuatur officiis, et sepultura, et sacramentorum perceptione, vid. IAN. VINC. GRAVINAЕ Inst. Can. p. 232. aut, uti definit IVST. HENN. BOEHMER. in Inst. Iur. Can. p. 715. censura, qua mediante auctoritate papae vel episcopi cum capitulari consen- su sacrificium inducitur ob contumaciam vel delictum in ecclesiis commissum. Vnde simile quodammodo est interdictis prohibitoris, de quibus ita IVSTINIANVS in §. 1. I. de interd. Prohibitoria sunt, quibus vetat aliquid fieri: veluti vim sine virtute possidenti, vel mortuum inferenti, quo ei ius erat infi- rendi: vel in sacro loco aedificari, vel in flumine publico ripaue eius aliquid fieri, quo peius naugetur.

CAPVT

h) De filio naturali, quem HENRICVS EX EVA illa TROTTI- NA suscepit, cuius HENR. CAR. A KIRCHBERG nomen erat, vid. DAV. GEO. STRUBEN in Obs. Iur. et Hist. Germ. p. 200.

C A P V T II.

*Löcorum iuris civilis, in quibus Saluiani interdicti mentio
fit, recensus.*

Inter adipiscendae possessionis interdicta eminet illud, cui *Saluiani* nomen dedit antiquitas, et de quo in praesenti paullo yberius exponere constituimus. Haud quidem nos latet, iam olim 10, HENR. BERGERVM singulari Dissertatione, quae inter eius Diff. iuris selectas, Lips. 1707. iunctim editas, decima tertia est, *de iuribus Interdicti Saluiani* exposuisse. Speramus tamen fore, vt, quam eidem rei nosmet ipsi impendimus, opera haud superiuacua videatur iis, qui cum Bergerianis nostra conferre voluerint. Ut autem lectoribus eo facilius sit, de re ipsa, cuius explicacionem suscepimus, iudicare atque statuere, iuuabit veteris iuris locos, in quibus Saluiani interdicti mentio occurrit, opido paucos, secundum temporis ordinem oculis hic subiicere.

Primus sic prodit *IVLIANVS*, cuius ex Lib. 49. Digest. verba in l. 1. D. de *Salu. interdict.* haec supersunt:

Si colonus ancillam in fundo pignoris nomine duxerit, et eam vendiderit, quod apud emptorem ex ea natum est, eius apprehendendi gratia vtile interdictum reddi oportet. §. 1.
Si colonus res in fundum duorum pignoris nomine intulerit, ita ut utriusque in solidum obligatae essent, singuli aduersus extraneum Saluiano interdicto recte experientur; inter ipsos vero si reddatur hoc interdictum, possidentis conditio melior erit. At si id actum fuerit, ut pro partibus res obligaretur, vtilis actio et aduersus extraneos, et inter ipsos dari debet, per quam dimidiias partes possessionis singuli apprehendent. §. 2. Idem seruari conuenit, et si colonus rem, quam cum alio communem habebat, pignoris nomine indu-

* * *

induxerit: scilicet ut pro parte dimidia pignoris persecutio detur.

Hunc sequitur V LPIANVS in l. 2. D. eod. In Saluiano interdicto, si in fundum communem duorum pignora sint ab aliquo inuestita, possessor vincet, et erit eis descendendum ad Seruianum iudicium.

V LPIANO comitem dabo P A V L V M in l. 2. §. 3. D. de interdicto.

Haec autem interdicta, quae ad rem familiarem spectant, aut apiscendae sunt possessionis, aut reciperandae, aut retinendae. Apiscendae possessionis sunt interdicta, quae competit his, qui ante non sunt nati possessionem. Sunt autem interdicta apiscendae possessionis, quorum bonorum. Saluianum quoque interdictum, quod est de pignoribus, ex hoc genere est.

Idem P A V L V S Sent. Rec. Lib. V. T. VI. §. 16. haud aliud, quam Saluianum interdictum intelligit, cum scribit:

Omnibus bonis, quae habet, quaque habiturus est, obligatis, nec concubina, nec filius naturalis, nec alumnus, nec ea, quae in usu quotidiano habet, obligantur, ideoque de his nec interdictum redditur.

I Ctos excipit Imp. GORDIANVS in l. 1. C. de precar. et Saluian. interdicto. ita rescribens Aristoni:

Si te non remittente pignus debitor tuus ea, quae tibi obnoxia sunt, venundedit, integrum tibi ius est ea persequi, non interdicto Saluiano, (id enim tantummodo aduersus conductorem debitorem competit,) sed Seruiana actione, vel quae ad exemplum eius instituitur, utilis aduersus emptorem exercenda est.

C

GOR-

8

GORDIANVM IUSTINIANVS in §. 3. I. de interdict.

Interdictum quoque, quod appellatur Saluianum, adipiscendae possessionis caufa comparatum est; eoque vitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset.

Prodire nunc etiam graeci gestiunt interpretes, inter quos primum locum dabimus THEOPHILO L. IV. T. 15. §. 3.

Τοιχτό ἐσι τὸ Σαλβιάνειον ἀντέριμον, ὅπερ δίδοται τῷ δεσπότῃ τῇ ἀγρῷ κατὰ τῷ κολωνῷ τῇ συμφωνήσαντος, ὡσε τὰ ἐισαγόμενα ὑπὲ ἀπῆ ἐν τῷ ἀγρῷ πράγματα ὑποκείσθαι ἐν τῷ μισθώματι. Έάν γάρ ἀγνωμόνησῃ, κατὰ παντὸς κατέχοντος τὰ τῷ κολωνῷ πράγματα νινθῆσται τὸ Σαλβιάνειον ἀντέριμον. Huiusmodi est interdictum Saluianum, quod domino fundi datur aduersus colonum, qui paetus fuit, ut bona omnia ab ipso in fundum inuestia pro mercede sint oppignerata. Nam si soluere cessauerit, aduersus quemlibet bona coloni possidentem Saluiano interdictio agetur.

Agmen denique claudunt LIBRI BASILIC. ubi T. IV.
p. 42. haec verba legimus:

Ο μὲν μισθώσας ἔχει ὀγωγὴν τῇ παραγγέλματος Σαλβιάνῳ κατὰ τῶν ὑποκειμένων ὄντῳ πραγμάτων τῷ μισθωτῷ. Locator actionem interdicti Saluiani habet aduersus res conductoris sibi pignori obligatas.

Tomo autem VII. p. 412. sequentia:

Ἐάν μισθωτὸς ἀγρῷ θεράπων ὄνοματι ἐνεχύρῳ ἐισαγόγη, καὶ πωλήσῃ σοὶ ἀυτὸν, καὶ εἰς τὸ τεχθὲν παρὰ σοὶ, ἀτίλιως ἀνείται τὸ νόμιμον παραγγέλμα. Εἰ ἐν ἀγρῷ δύο τινῶν μισθωτὸς ἐισαγάγῃ τι ὡς ἐνέχυρον, ὡσε ἐκατέρω εἰς ὥλον.

ολόνηγρον ὑποκεισθαι, ἐνάτερος πατὸς ἔξωτην ἀρπάσαν-
τος τὸ ἐισαχθὲν, ὁρθῶς οὐεῖ. Εἰ δὲ μεταξὺ ὀλλήλων
καθέστω, ὁ νεμόμενος καλλίων ἐσίν. Εἰ δὲ μερικῶς ὑπετέ-
θη τὰ πράγματα, γτιλιως ἐνάτερος οὐεῖ, καὶ τὸ ἥμισυ τῆς
νομῆς ἐνδικεῖ. Τὸ ἀντὸν κανὸν ἐπίνοιον πρᾶγμα ἐστηγαγεν ὁ
μισθωτός. Κατὰ γαρ τὸ ἥμισυ ὡς ἐνέχυρον ἐνδικεῖται.
Si colonus fundi ancillam pignoris nomine intulerit, et vendi-
derit eam tibi, etiam in id, quod ex ea natum erit apud te,
utili interdicto agatur. Si in fundum duorum colonus intule-
rit aliquid quasi pignus, ita ut utriusque in solidum obligaretur,
utique aduersus extraneum, rapientem rem illatam, recte agit.
Sed si inter se agant, potior est possessio. Quod si pro parte
res obligauerit, utiliter uterque agit, et dimidium possessionis
vindicat. Idem, et si rem communem colonus intulerit. Nam
pro dimidia parte quasi pignus vindicatur.

C A P V T III.

De Saluiani interdicti auctore, et unde illud dicatur?

Tanta de interdicti Saluiani auctore sententiarum diuersi-
tas est, tanta dissensio, ut data quasi opera in varias
partes abiisse viri docti videantur, et non nisi difficulter,
quid vero sit quam simillimum, decernere licet. Adeo
scilicet verum est, quod MARTIALIS VIII. 18. scribit:

Aurum, et opes, et rura frequens donabit amicus;

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Ac primum quidem illorum opinionem, qui interdictum
Saluianum a *saluando* dictum putant, quia scilicet locatoris
et creditoris ius saluum praestet, non resellendam, sed ex-
plodendam exhibilandamque esse censeo. Vero similior
forte videbitur sententia ANT. AVGUSTINI de *nom.*

* * *

prop. D. IAC. CVIACII in Paratit. ad Tit. D. de Satu. interd. EDM. MERILLII ad I. p. 535. et AEG. MENAGII Amoen. I. C. Cap. 24. qui hoc interdictum **SALVIO IVLIANO**, celeberrimo illi edicti perpetui conditori, acceptum ferunt, ab eiusque nomine Saluvianum appellatum fuisse existimant. *Quod* etsi verum esset, vel sic tamen incerti haeremus, **IVLIANVS**ne hoc interdictum edicto perpetuo inferuerit, an praetor factus excogitauerit, edictoque nouiter a se condito proposuerit. Evidem scio, **IO. STRAVCHIVM** in *vit. Saluti Juliani*¹⁾ existimare, **IVLIANVM** haud merum edictorum compilatorem fuisse, sed de suo etiam nonnulla, quae deesse videbantur, e. g. caput illud, quod in *I. 3. D. de coniung. cum emanc. lib. eius superest*, addidisse, quaedam contra, vtpote superuacua atque inutilia, reieciisse. Idem tamen haud ignoro, quod scribit **HERM. NOORDKERK** *Obf. Cap. VIII.* his verbis: *Nec ad sentior viris doctissimis, qui clausulam hanc ipsi, edictorum libellum concinnanti, acceptam referunt: nam tantum licentiae sibi arrogasse Julianum, eo tempore priuatum, neque l. i. D. quod met. caus. neque l. i. D. commod. neque alia, quae in hanc sententiam proferruntur, testimonia aut euincunt, aut indicant. Vero forte proprius suspicor, praetorem deinceps Saluum moribus antiquis de iure edixisse, et quod dignitati conueniebat, in honore positum, iuri honorario isthac adiecisse supplementum.* Atque sic etiam **IOS. AVERANIO** *Interpr. L. I. c. 6.* probabile videtur, *Saluvianum* interdictum a **SALVIO IVLIANO**, cum praetor esset, in edicto propositum fuisse. Sed bene habet, quod **CORN. VAN BYNKERSHOEK** *Obf. L. I. c. 24. SALVIVM IVLIANVM* interdicti Saluiani auctorem haud esse argu-

men-

1) Quae est inter eius vitas **ICTORUM** a **BUDERO** *Ienae 1723.* iunstum edit. p. 4.

mentis haud contemnendis euicerit, atque probatum dederit. Ait scilicet, vero simile haud esse, Iulianum tam arrogantis ingenii fuisse, ut non contentus reperisse interdictum, et nomen illi suum imponeret, et ita edicto insertum vellet. Mouet illum porro, quod **IULIANVS** in *l. 1. D. de Salu.* interd. illud tamquam noto et antiquo nomine Saluianum vocat, idque simpliciter absque vlo indicio, quo se auctorem prodat. Fortissimum autem argumentum ei viderur hoc, quod ipse **IULIANVS** in *d. l. 1.* maxime occupetur in enumerandis causis, in quibus reddi oporteat interdictum vel directum vel vtile, atque adeo directum ab vili distinguat secundum ea, quae ibi proponuntur. *Haec vero,* inquit **BYNKERSHOEKIVS**, mihi non videntur conuenire Iuliano auctori; si enim ipse interdicti fuisse auctor, utique quoque fecisset directum, quia eiusmodi distinctiones non oriuntur, nisi ex interpretatione, quae ab aliis quidem *Ictis*, non tamen ab Iuliano expeditanda erat, ne interdictum anguste nimis concepisse videretur etiam ex sua ipsis sententia. Diluere quidem haec **BYNKERSHOEKII** argumenta ausus est, qui fere semper cornicium oculos configere voluit, **CHRISTFR. WAECHTLERVS** *Opusc. a c. H. TROTZIO edit. p. 608.* ita quidem, vt diceret, modestiae signum esse, quod in tota *l. 1. D. de Salu.* interd. nihil arroganter dixerit **IULIANVS**; nec ullum praetorem omnes causis, in quibus interdictis locus esset, aut expressissime, aut praeuidere potuisse; ne Deum quidem, qui solus posset, ita in legibus suis nobiscum locutum esse. Ast recte monuit **IO. GOTTL. HEINECCIVS** *Opusc. posthum. p. 229.* si vel ea omnia largiremur, tamen incertum manere, an auctor huius interdicti sit Saluius Julianus, quia id nemo veterum dixerit, et plures cum ante Hadriani tempora, tum sub illo e gente Salvia honoribus functi sint amplissimis, quorum vnum aliquem interdicti istius auctorem aequem esse posse,

ac Julianum nostrum, nemo dubitauerit. Idem autem etiam
mauult $\alpha\pi\chi\eta\omega$, immo in *Opusc. var. Syllog.* p. 800. rem tam
quam incertam in medio relinquit, apud me tamen momenta a
BYNKERSHOEKIO in medium prolatā adhuc tantum pon-
dus habent, ut WAECHTLERVS nihil plane contradixisse
videatur. Vestram fidem, critici! Quis quaeso persuaderi
sibi patientur, SALVIVM IULIANVM, si ipse huius interdi-
cti auctor esset, in d. l. i. his verbis usum suisse: *Si colo-
nus ancillam in fundo pignoris nomine duxerit, — UTILE interdi-
ctum reddi oportet. Si colonus res in fundum duorum pignoris
nomine intulerit, — singuli aduersus extraneum Saluiano inter-
dicto (cur non potius: interdicto a me ipso proposito?) rede
experientur.* Credat Iudeus Apella, non ego.

Obiter hic refellendus est vulgaris, et iam olim a
PETR. GRANGIANO *Paradox. Iur. Ciuitatis cap. 32.* (*in Ott.
Thes. T. V. p. 630.*) noratus doctorum error, qui eas tan-
tum actiones, ex verbis legis quae veniunt, directas dicunt,
reliquas autem, quae ex legis mente dantur, utilium no-
mine comprehendunt. Non legerint illi oportet, quod
in l. 6. §. 1. D. de *V.S.* scribit **VLPIANVS**: *Verbum ex legibus
sic accipiendum est, tam ex legum sententia, quam ex verbis,*^{k)} et **PAVLVS** in l. 2. §. 5. D. de aqua et aqua pluvi. arc.
Quamquam tamen deficiat aquae pluviae arcendas actio: attamen
opinor, utilem actionem vel interdictum mihi competere aduersus
victi-

^{k)} Sic legitimū dici eriam id, quod non quidem ex verbis legis, sed
ex ratione eius introductum est, obseruavit WESTENBERG. de
port. legitim. Diff. I. cap. I. ipseque testatur IVSTINIANVS pr.
I. de legit. patron. tut. Ex eadem lege XII. Tab. libertorum et liber-
tarum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet, quae et ipsa legit-
ima tutela vocatur, non quia nominatio in ea lege de hac tutela caue-
tur, sed quia perinde accepta est per interpretationem, atque si verbis
legis introducta esset.

vicinum; si velim aggerem restituere in agro eius, qui factus mihi quidem prodebet potest, ipsi vero nihil nociturus est; haec aequitas suggestit, et si iure deficiamur. Qui enim quaeso, si utilis actio ex mente legis veniret, PAVLVS dicere potuisset: et si iure deficiamur? Quare rectius eam directam actionem dixeris, quae ex verbis aut mente legis oritur, ideo quippe sic appellatam, quia directe ab ipsa lege procedit; utilem autem, quae nec ex verbis, nec ex mente legis competit, sed per interpretationem Ictorum ad eum casum, de quo auctor legis haud cogitauit, porrigitur. Iam dic, amabo, quomodo IVLIANVS, si ipse interdicti, quo de agimus, auctor atque inuentor fuisset, utilis mentionem aliquam facere potuisset? Haud male L. A. HAMBERGER *Diss. Iur.* p. 267. BYNKERSHOEKII sententiae subscribens, actionem, inquit, directarum et utilium diueritas ex interpretatione iurisconsultorum orta, non ab ipsis legislatoribus projecta est. Nam ipse alicuius sue legis, sue edicti auctor si haec distinguat, necesse est, suam vel incitiam, vel oscitantiam, lege nimis angustie scripta proditam, confiteatur. Quae cum ita sint, valere iuslo cum pertinacia sua CHRISTER. WAECHTLERO, haud dubitamus, SALVIO IVLIANO interdictum Saluianum plane abiudicare, et de vero eius auctore interrogati doctrinam hac parte ignorantiam profiteri.

C A P V T I V .

De interdicti Saluiani formula atque fundamento.

F^{ormulam} interdicti nostri ita restituit GVL. RANCHI-
NVS in *edict. perpet. restitut. L. 43. T. 33.*

Quod de his rebus possides, de quibus inter dominum et colo-
num conuenit, vt, quae in fundum, quo de agitur, inuecta,
ibi

* * *

ibi nata; factae essent, ea pignori domino pro mercede eius fundi essent, id domino restituas.

Quemadmodum autem RANCHINVS, obseruante L. A. HAMBERGERO Opusc. p. 257. et 422. in edicto perpetuo restituendo non semper accurate satis versatus est, ita hic etiam rem haud omnino acu tetigisse videtur. Cum enim Saluiano interdicto colonus domino fundires, quas is pro mercede fundi pignori futuras pepigisset, restituere iubeatur, §.3. I. de interdict. formula sane non ita, ut RANCHINVS finxit: *Quod de his rebus possides, de quibus inter dominum et colonum conuenit, — id domino restituas,* comparata esse potuit, sed ita potius concipienda est, ut statim principio verba ad colonum dirigantur. Melius igitur IO. ORT. WESTENBERG. in Princip. Iur. sec. ord. Dig. L. 43. T. 33. coniecit, sic edixisse videri praetorem:

Quod de his rebus possides, de quibus inter te et adorem conuenit, ut, quae in fundum, de quo agitur, inuedia, ibi nata, factae essent, ea pignori pro mercede eius fundi essent, id ei restituas.

Quod ad causam atque fundamentum huius interdicti attinet, idem quidem WESTENBERGIVS l. c. Tit. I, §. 16. illud in rem esse, atque ex iure pignoris oriri contendit. Quominus autem ipsi ea in re adstipuler, facit VLPIANVS in l. 1. §. 3. D. de Interd. aperte scribens, *omnia interdicta, licet in rem esse videantur, vitamen ipsa personalia esse.* Iam cum Saluianum interdictum ab hac regula in iure nostro nusquam excipiatur, verius existimo, illud neque in rem, sed in personam potius esse, neque ex iure pignoris ortum traxisse; qua quidem in re praeter alios consentientem habeo VLR. HVBERVVM Praeleg. ad. I. p. 452. Sed cum haud suffici-

sufficiat, sententiam aliquam reprobare atque reuincere, nisi etiam aliam quamque meliorem suppedites, haud iniuria aliquis ex me quaesuerit, quodnam mihi verum interdicti Saluiani fundamentum esse videatur. Haud satisfacit, quod responderet idem HVBERVS l. c. Sic abunde, inquiens, liquet, ius hereditarium, illud inquam ius in re, non esse fundamentum interdicti quorum bonorum, sed aliud minus firmum atque perfectum, actoremque se fundare in eo, quod aegum sit, possessionem, hoc est rerum detentionem, sibi duntaxat praefari. Facili iam negotio intelligitur, circa fundamentum Saluiani Interdicti nihilo plus fore difficultatis, omnibusque reliquis interdictis, quae de seruitibus dantur. Possent forte defungi, si in generali interdictorum causa atque fine, i. e. utilitate atque necessitate, subsisterem. Cum enim in hisce controvensionis saepe manibus haud temperetur, sed ultra iurgium procedatur, praetor autem haud nesciret, quod eleganter LVCANVS Pharsal. L. VI. v. 147. ait:

— — — in armis

Quam magnum virtus crimen ciuilibus effet,

quis quaeſo mirabitur, colonum res pro mercede fundi obligatas domino restituere iuberit? Sed nec propior deest, quae practorem, ut ita ediceret, facile mouere potuit ratio. Atque hanc digito quasi monstrati VSTINIANVS in §. 3. I. de interd. scribens, Saluiano interdicto uti dominum fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset. Quidni igitur pactum causam interdicti Saluiani proximam existimemus potius, quam illam aut cum WESTENBERGIO inuita Themide in iure pignoris quaeramus, aut cum HVBERO rem sicco quasi pede transfiliamus? Cur pactum, dominum inter et colonum initum, non tueatur is, qui publice promiserat, se seruaturn

D

turum

turum pacta conuenta omnia, quae neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatus consulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta essent. *I. 7. §. 7. D. de pact.* Quodsi interdictum oriri potest ex delicto, vti deinterdicto unde vi scribit WESTENBERG. *I. c. §. 17.* cur paetum a colono cum domino fundi initum hac parte inutile atque inefficax esse putemus?

C A P V T V.

De Saluiani interdicti indole atque natura.

Ex verbis IVSTINIANI in *§. 3. I. de interd.* manifestum est, dari interdictum Saluianum (directum scilicet) non nisi domino fundi rustici contra colonum earum rerum nomine, quas is pro mercede pignori futuras pepigisset. Idem obtinere etiam in actione Seruiana docet §. 7. *I. de act.* idque vel ideo, quia, vt monet SCHVLTINGIVS *Theſ. Contr.* p. 392. pignora tacita post Seruum demum inducta fuerunt¹⁾). Quemadmodum igitur fructus ex fundo locato et conducto nati, itemque in praedium vrbanum inuecta et illata, tacito quippe pignori obligata,^{m)} non

1) Quod non obseruauit HEINECCIVS in *Elem. I. C. sec. ord. Pand. P. IV. §. 12.* De pignoribus tacitis conf. FRANC. BALDWINVS in *Comm. de pign. et hyp. Cap. VI.* (in *Iurispr. Rom. Att. T. I. p. 264.*)

m) In mentem mihi hic venit, quod apud CORN. VAN ECK in *Theſ. Iur. Contr.* p. 85. me legere memini, bona scilicet minoris XXV. annis, qui sine curatoris sui auctoritate domum vel cubiculum conductus, taciti pignoris nexu haud obligari, propterea quod hoc pignus non ex sola legis auctoritate, sed etiam ex praefulta locatoris et conductoris voluntate, et huius alienandi ac pignoran- di potestate oriatur, *I. 4. D. de pac.* *I. 4. et 6. D. in quib. cauf. pign.* Sed cum haec sententia falsa hac nitatur persuasione, minorem sci- licet

non Seruiana, sed quasi Seruiana actione petuntur, (conf. IAN. A. COSTA ad §. 7. *I. de act.*) sic de his rebus itidem non interdictum Saluianum directum, sed quasi Saluianum, quod alii vtile vocant, competit. Conf. idem COSTA ad §. 3. *I. de interd.* PETR. DE GREVE *Exerc. ad Pandect.* p. 570. et I. H. BERGER in *all. Diff.* §. 11. Sed etsi quis omnia sua bona expresse obligauerit, tamen ne sic quidem Saluiano interdicto semper locus dabitur; atque hoc pertinet locus ille insignis PAVLI *Sent. Rec. V. VI. 16.* *Omnibus bonis quae habet, quaque habiturus est, obligatis, nec concubina, nec filius naturalis, nec alumnus, nec ea, quae in usu quotidiano habet, obligantur;* ideoque de his nec interdictum (Saluianum scilicet) redditur. Ait: *nec concubina?* Imitabantur quippe vii in multis, ita etiam hac parte concubinae olim vxores, quarum duram separationem esse scribit VLPIANVS in *I. 12. §. 7. D. de instr. vel instrum. leg.* eandemque ob causam ALEXANDER olim SEVERVS teste LAMPRIDIO in eius vit. cap. 42. praesidibus prouinciarum, si vxores non haberent, permisit singulas concubinas, *quod sine his esse non possent.* Similiter sere METELLVS apud GELLIVM *L. I. cap. 6.* *Si sine uxore, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satiis commode, nec sine illis ullo modo viui possit, saluti perpetuae potius, quam breui voluptati consulendum.* Nec male CATHARINVS *Epigr. Lib. VI.*

Vxor abi, remane, volo, nolo, dukis, amara es.

Nec tecum possum viuere, nec sine te.

D 2

Atque

Licet sine curatore ciuiliter haud obligari, cuius contrarium *10.* *GVL. MARCKART. Interpr. Recept. Iur. Ciu. Lect. I. cap. 21.* dudum ostendit, CORNELIO VAN ECK hac quidem parte haud subscribimus.

Atque si dura vxorum a viris separatio est, durior fortasse illis concubinarum separatio videbatur, qui cum AELIO VERO vxorem dignitatis, non voluptatis nomen esse existimabant. Vid. SPARTIANVS in vit. Aeli Veri cap. 5. Ceterum de concubinis conf. elegantem tractatum FRANC. RAMOS DEL MANZANO in MEERM. Thes. Tom. V. p. 553. Pergit PAVLVS: nec filius naturalis, quo de nihil nunc dicemus, postquam de spuriis et naturalibus liberis nuper in Diss. de quer. ineff. test. fratr. atque soror. contr. spur. haud comp. itemque Probabil. L. II. c. 16. exposuimus. Sequitur alumnus, de quo nonnulla ad h. l. adnotauit CVIACIVS in Schulting. Iurispr. Anteiusp. p. 464. ISIDORVS Orig. X. 1. scribit: Licit et qui alit, et qui alitur, alumnus dici potest, id est, et qui nutrit, et qui nutritur, sed melius tamen, qui nutritur. Proprie igitur τὸ alumnus est relatum auctoris, educatoris, nutricis, atque hoc sensu illo vtitur HORATIVS Ep. I. 4. 8.

Quid vogueat dulci nutricula maius alumno?

et VIRGILIVS Aen. XI. 33.

Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.

Locos ex Digestis atque Codice, vbi idem verbum occurrit, indicauit BRISSONIVS de V. S. p. 69. addens, quibusdam in locis nonnullos τὸ alumnus interpretari filium ex concubina suscepturn. Hic certe a filio naturali distinguitur, vti ex verbis PAVLI manifestum est. Ceterum alumni differabant a puellis puerisque alimentariis, quorum cum apud nostros, tum exterios scriptores frequens mentio est. Illi scilicet in domo educatoris aut nutricis alebantur, his autem cum alendis tum erudiendis annui redditus vel ex aentario fiscoue, vel e priuatorum donis et legatis adsignati erant,

erant, idque vel misericordiae causa, vel in honorem Augustorum Augustarumue, ita quidem, ut illorum nomen pueri, harum puellae referrent. Conf. PHIL. RYBENIVS Elector. L. II. c. 36. sc. GENTILIS de aliment. cap. I. IO. AVG. BACHIVS in Commentar. de Leg. Traian. p. 20. CHRIST. HENR. TROTZIVS in Memor. Propag. p. 223. et CHRIST. ADOLPH. KLOTZIVS in Opusc. Nummar. p. 195. Restant verba: nec ea, quae in usu quotidiano habet. Lucem his foeneratur VLPIANVS in l. 6. D. de pign. Obligatione generali rerum, quas quis habuit, habiturus ue sit, ea non continebuntur, quae verisimile est quemquam specialiter obligaturum non fuisse, ⁿ⁾ utputa supellex; item vestis relinquenda est debitori, et ex mancipiis, quae in eo usu habebit, ut certum sit, eum pignori daturum non fuisse: proinde de ministeriis eius perquam ei necessariis, vel quae ad affectionem eius pertineant. Quod ait de ministeriis perquam necessariis, neminem mirabitur, qui scit, seruo care-

D 3

re

n) Haec quidem ceterorum honorum nomine comprehendit PAPNIANVS in l. 2 D. qui pot. in pign. Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea praedinn ex his bonis datur: quamvis ex ceteris pecuniam suam redigere possit. Quod si ea conuentio prioris fuit, ut ita demum cetera bona pignori haberentur, si pecunia de his, quae generaliter accepit, servari non posuerit, deficiente secunda conuentione secundus creditor in pignore postea dato non tam potior, quam solus inuenietur. Cetera, inquam, bona hic sunt, quae generali rerum obligatione haud continentur, recte tamen obligantur ei, qui pignus generale iam habet. Conf. IAC. VOORDA Interpr. et Emend. L. II. cap. 15. Iuuabit fortasse obiter hic adnotasse, in l. 11. §. 5. D. de pign. act. finiolorum nomine villem venire supellestilem. Vid. BALDVIN. l.c. p. 265. quemadmodum verbum panpertas pro vili hereditate occurrit in l. 78 §. 12. D. ad Sicutum Trebell. Solebant scilicet veteres, ut se inuidiam amouerent, facultates suas verbis extenuare, quod iam adnotauit ALTFESERRA de fict. iur. Tract. VII. c. XI. ubi eadem formula AVGUSTINVM et HIERONYMVM quoque vsos esse ostendit.

re Romanis olim visum esse miserrimum, quo pertinet illud
CATULLI XXI.

*Furi, cui neque seruus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis.*

Quid igitur? licetne seruum pignori datum manumittere, sique ius domini fundi aut aedium imminuere? Attigit hanc quaestionem PAVLVS in l. 9. D. in quib. caus. pign. Est differentia obligatorum propter pensionem, et eorum, quae ex conuentione manifestarii pignoris nomine tenentur: quod manumittere mancipia obligata pignori non possumus, inhabitantes autem manumittimus, scilicet antequam pensionis nomine percludamus: tunc enim pignoris nomine retenta mancipia non liberabimus: et derisus Nerua Iurisconsultus, qui per fenestram monstrauerat seruos detentos ob pensionem liberari posse. Loco manifestarii BRISSONIVS de V. S. p. 786. legit manifestari. Sed opinor perperam. Pignus enim manifestarium VLPIANO est expressum, seu speciale, quemadmodum fur manifestarius occurrit apud PLAVTVM Aulul. III. 4. 10. manifestarius homicida apud LACTANTIVM de mort. persecut. cap. 30. Distinguit igitur PAVLVS obligationem propter pensionem a pignore manifestario, i. e. specialiter declarato, propterea quod quidem inhabitantes, quorum pignus generale est, manumittere possunt, qui autem specialiter mancipia pignori obligarunt, non possunt, arque sic idem dicit Iustus, quod Impp. SEVERVS et ANTONINVS in l. 3. C. de seru. pigr. dat. manum. Ab eo, qui bona sua pignori obligauit, quae habet, quaecunque habiturus esset, posse seruis libertatem dari, certum est. Non idem iuris est in his seruis, qui pignoris iure specialiter traditi vel obligati sunt^{o)}. A regula tamen

proposito

^{o)} Pertinet eo quoque, quod scribit VLPIANVS in l. a. D. in quib. caus. pign. Licet in praediis urbanis tacite solet conuentum accipi,

proposita, quod ad inhabitantes attinet, excipit PAVLVS eam speciem, si quis pensionis nomine iam praeclusus sit, tunc enim, inquiens, *pignoris nomine retenta mancipia non liberabimus.* Ad quod intelligendum meminisse debemus, moris apud Romanos fuisse, ut inquilino pensionem haud soluente aperirent aedes, atque iussu magistratus a personis publicis seu tabulariis res omnes, cumque iis mancipia describerentur, postea autem fores aedium clauistro aut alia ratione praecluderentur, siveque inuecta et illata, vtpote publica iam auctoritate occupata, pignore speciali tenerentur, neque ante solutionem pensionis rursus liberarentur. Rem narrat PAVLVS in l. 56. D. loc. cond. Cum domini horreorum insularumque desiderant, diu non apparentibus, nec eius temporis pensiones exsoluentibus conductoribus, aperire, et ea, quae ibi sunt, describere a publicis personis, quorum interest, audiendi sunt: eodemque pertinet l. 20. D. de iniur. Si iniuriae facienda gratia Seia domum absensis debitoris signasset sine auctoritate eius, qui concedendi ius potestatum habuit, iniuriarum actionem intendi posse, respondit, nec non Tit. C. ut nem. lic. sine iud. auct. sign. reb. imp. alien. Nouam quidem viam

pi, ut perinde teneantur inuecta et illata, ac si specialiter conuenisset, certe libertati bauismodi pignus non officit: idque et Pomponius probat; ait enim, manuissioni non officere ob habitationem obligatum. Etiam fisco bonis generaliter obligatis ferui debitoris libertas haud impeditur, nisi in fraudem fisci fuerit manumisitus. Sic teste MARCIANO in l. 11. §. 1. D. qui et a quib. man. Diuī Fratres rescripserunt: Non utique, si debitor fisci manumiserit, libertates impediuntur, sed ita, si, cum non erat soluendo, in fraudem manumisit, nec non SEVERVS et ANTONINVS in l. 2. C. de seru. pign. dat. man. Libertas a debitor fisci seruo data, qui pignori non est ex conuentione speciali, sed tantum privilegio fisci obligatus, non aliter confirmatur, quam si hoc fraudis consilio effectum detegatur. Conf. 10. ORTW. WESTENBERG. in D. Marco Diff. XV.

viam praeiuerat NERVA pater,^{p)} et per fenestram seruos ob pensionem detentos liberari posse monstrauerat, sed derisum eum hanc ob causam fuisse, PAVLVS locuples nobis testis est. Quare autem derisus? Rationem reddidit CVIACIVS Obs. L. XVII. c. 39. Derisus, inquiens, est non insultando, (nec enim solent prudentissimi iuris auctores alii alii insultare,) sed argumentando, dum opposita ratione certa cautioni eius ceteri adsenſi non sunt, quia scilicet, si ea ratione, quam Nerua monstrauit, serui manumitti possunt, quasi non plane detineantur, quibus patent fenestrae, non tantum praefendum esset ostium aedium, sed praefigendae etiam essent vel obſtruendae fenestrae, et proſpectus omnes, quod utique dixerit nemo: et seruus quoque ſpecialiter pignori datus locatori et a locatore retentus in suis aedibus, a domino tranſeunte beneficio fenestrae manumitti posset, quod etiam dixerit nemo. Conf. EDM. MERILLIVS Obs. L. III. c. 25. TUVSANVS DE LA RUE Amoen. Iur. Obs. Cap. V. (in Ott. Thes. T. V. p. 1495.) et GREG. MAIANSIUS Disp. Iur. Tom. I. Disp. 10. Ceterum fruſtra eſt NIC. CATHARINVS cum Obs. L. IV. c. 50. (in Meerm. Thes. Tom. VI. p. 799.) in d. l. 9. loco percludamur, i. e. praeccludamur, legere iubet percludantur, cum nulla hanc emendationem urget necessitas, sed et sine ea PAVLI verba ſenſum ſatis commodum fundant.

C A P V T V I.

De interdicto Quasi Saluiano seu vtili.

Etsi Saluianum interdictum initio datum tantum fuit domino fundi contra colonum ad consequendam possessionem

p) Hunc enim, non filium, intelligendum eſſe, quando non adiecto filii nomine Nerua laudatur, post alios reſte monuit BACHIVS ip. Hist. Iur. p. 402.

sionem rerum coloni pro mercede expresse obligatarum, postea tamen idem per interpretationem ad omnes creditores, quibus pignus constitutum, ita prolatum est, ut his quoque contra debitores ad consequendam rerum oppignoratarum possessionem eo experiri liceat. Atque hoc interpretibus, e. g. HEINECCIO in *Elem. Iur. Ciuitatis Ord. Pand. h. t.* dicere placuit interdictum Quasi Saluianum seu vtile, quamquam GORDIANVS in *I. r. C. de precariis* vtrumque uno Saluiani interdicti nomine comprehendenter, *id enim*, inquiens, *tantummodo aduersus conductorem debitorem* competit. De interdicto Saluiano vtile sermo etiam est *IVLIANO* in *I. r. pr. D. h. t.* *Si colonus ancillam in fundo pignoris nomine duxerit, et eam vendiderit, quod apud emtorem ex ea notum est, eius apprehendendi gratia vtile interdictum reddi oportet.* Cur quaeſo vtile tantum hoc caſu redditur, et non directum potius? Frustra fane ſunt, qui hic interdictum vtile aduersus emtorem intelligunt, inter quos nomen profiteretur ſuum *IO. CHRISTOPHOR. PESLER* in *Diff. de Saluian. interd. vtili adu. quemcunque rer. oppignoratar. poffessor. competente*, quae *Francofurt. ad Viadr. 1750.* prodiit, *ſ. 3.* Non enim dicit *IVLIANVS*, vtile interdictum reddi aduersus emtorem, ſed ait tantum: *vtile interdictum reddi oportet.* Sed quaeris, contra quem? Ego haud dubito respondere, contra colonum, idque propterea quod, ut supra ostendimus, interdictum Saluianum directum tantummodo rerum expreſſe oppignoratarum nomine redditur. Iam cum colonus ancillam quidem pignoris nomine in fundum duxifſet, ceterum de partu futuro, qui forte apud emtorem ancillae ederetur, nihil addidifſet, non poterat fane deficiente oppignoratione expressa interdicto directo locus dari, eamque ob causam *IVLIANVS* vtile tantum reddi oportere auctor est. Quod ipsum, niſi *IVLIANVS* dixifſet,

E

equi-

◆ ◆ ◆

equidem vix crederem, postquam legi, quod scripsit P A V-
LVS in l. 29. §. 1. D. de pign. Si mancipia in causam pigno-
ris ceciderunt, ea quoque, quae ex his nata sunt, eodem iure ha-
benda sunt. Quod tamen diximus etiam adgnata teneri, sive spe-
cialiter de his conuenerit, sive non, ita procedit, si dominium eo-
rum ad eum peruenit, qui obligauit, vel heredem eius. Cete-
rum si apud alium dominum pepererint, non erunt obligata. Oppo-
nit quidem nobis P E S L E R V S eiusdem verba P A V L I in
l. 18. §. 2. D. de pign. act. Si fundus pignoratus venierit, ma-
nere causam pignoris: quia cum sua causa fundus transeat, sicut
in partu ancillae, qui post venditionem natus sit, itemque re-
scriptum Imp. ALEXANDRI in l. 1. C. de part. pign.
Partus pignoratae ancillae in pari causa esse, qua mater est,
olim placuit. Sed quemadmodum ex hoc rescripto, in cau-
sa singulari dato, generalis regula confici nequit, ita P A V-
LVS, quod in all. l. 18. §. 2. breuiter dixerat, ipse in l. 29.
§. 1. D. de pign. iustos intra fines restringit, suamque men-
tem vberius explicat. Ego vero tantum mihi haud sumo,
vt I V L I A N O, in specie pr. l. 1. D. de Salu. interd. proposita
vtili interdicto contra colonum locum concedenti, fidem de-
negem meam, cum hac quidem parte Imp. GORDIANI
in l. 1. C. de prec. ipsi haud obstat auctoritas. Sed extricanda
iam est altera eaque difficillima quaestio, an scilicet inter-
dictum Saluianum vtile contra tertium etiam possessorum
competat? in qua tanta doctissimorum virorum diffensio
est, vt nulla fere in re magis varias in partes abiisse videan-
tur. Affirmare quidem illud haud dubitarunt C V I A C I V S
Obj. L. V. cap. 24. PETER DE GREVE l. c. p. 570.
CORN. VAN ECK in Princ. iur. ciu. sec. ord. Dig. h. t.
GEO. CHRIST. GEBÄVERVS in ord. Inst. p. 153. et qui
singulari Dissertatione hanc sententiam propugnare fatigit,
IO. CHRISTOPHOR. PESLERVS, ne aliorum idem sen-
tien-

tientium mentionem iam faciam. Negant contra 10.
 VAN DE WATER *Obs. Iur. Rom. L. I. cap. 14. IVST.*
 HENN. BOEHMERVS in *Praef. de interpr. grammatis fatis*
et var. usu in I. R. BARN. BRISSONII Operi de V. S.
praemiss. pag. XXXIII. et 10. GOTTL. HEINECCIVS
in Elem. Iur. Ciu. sec. Ord. Pand. h. t. §. 353. Quo in sententiarum diuortio equidem initio vetere illo non liquet potius vti, quam inter viros tam doctos arbitrium fuscipere, aut tamquam iudex federe decreueram. Re autem propius considerata fultus auctoritate Imp. GORDIANI in negantium castra transire, iisque contrariam opinionem prorsus repudiare hand dubito. Quid enim quaeſo clarius verbis GORDIANI in d. l. 1.

Si te non remittente pignus debitor tuus ea, quae tibi obnoxia sunt, venundedit, integrum tibi ius est ea persequi, non interdicto Saluano (id enim tantummodo aduersus conductorem debitorem competit,) sed Seruiana actione, vel quae ad exemplum eius instituitur, utilis aduersus emptorem exercenda est.

Rationem huius iuris 10. VAN DE WATER l. c. hanc reddit: quia Interdictum Saluianum originem trahens ex dolosa rei obligatae venditione, conductoris personae inhaeret, et aduersus eum solummodo, non contra extraneum doli ignarum, ex vulgata iuris ratione reddi potest; quam quidem cum ratione interdicti a nobis supra proposita ita facile conciliabimus, vt dicamus, colonum pactum cum domino initum spernentem, contraque illud rem obligatam vendentem, vtique in dolo versari, hunc ipsum autem ad extraneum nihil plane pertinere, neque adeo contra hunc interdicto locum esse. Vrgent autem aduersarii maxime verba IVLIANI in l. 1. §. 1. D. h. t. *Si colonus res in fundum duorum pignoris nomine*

E 2

intu-

intulerit, ita ut utriusque in solidum obligatae essent, singuli aduersus extraneum Saluianum interdicto recte experientur. Quis hic extraneus? Expeditum est, ait PESLERVS l.c. §. 4. locatores ambo, qui praedium quoddam rusticum communem habebant, extraneo opponi. Extraneus autem hic loci sine dubio appellatur omnis is, qui praeter duos illos fundi communis locatores res, a colono pignoris nomine in fundum illatas, ac utriusque in solidum obligatas, poterat possidere, in quo illi subscribere ego quidem haud dubito. Cum autem sic IULIANVS affirmet, quod aperte negat GORDIANVS, qua tandem ratione diversa haec in concordiam adducemus, pacemque Imperatorem inter et ICtum restituemus? Haud placet, quod respondet IAN. A COSTA ad I. edit. van de Water p. 60r. Dicendum videtur, diversas esse species illarum legum; Julianus enim de colono loquitur, aduersus quem datur directum interdictum, et aduersus illum, qui ab eo emit, utile: at Gordianus non de colono agit, sed de alio quoque debitore, qui utili interdicto tenetur, quamdiu possidet: sed si alienauerit, cum ad illum similitudinem aliud non sit iure introductum, sequitur, decurrent ad actionem Seruianam, quae cum in rem sit, sequitur possessorem, propterea quod GORDIANVS disertis verbis et sine exceptione ait, Saluianum interdictum tantummodo aduersus conductorem debitoremne competere, falsumque adeo sit, quod IAN. A COSTA opinatur, GORDIANVM non de colono, sed de alio quoque debitore loqui. Apposite WATERVS l.c. p. 78. Gordiani rescripto conceditur utilis actio Seruiana, sed nulla utilis Saluiani Interdicti mentione fit, quod tamen (si vixquam in illa quæstione a ICtis utile fuit datum,) reddidisset Imperator. Haud magis placet sententia HEINECCI c.l. §. 353. extraneos scilicet hic non opponi debitori, qui intulit et oppignorauit, ut intelligi possint tertii possessores, sed creditoribus vel locatoribus inter se

se agentibus, adeoque aequre commode ipsos debitores intel-
ligi. Quod etsi etiam arridet I V S T . H E N N . B O E H M E R O
l.c. idemque teste W A T E R O in Ob. p. 80. G V I L . B E S T I O
olim in mentem venit, recte tamen iam monuit idem W A-
T E R V S , vim ita inferri τῷ extraneus, nequē vero simile
esse, I V L I A N U M , agentem in princ. h. §. de colono, eum
deinde extraneum vocaturum fuisse. Idem vidit P E S L E-
R V S l.c. §. 4. recte addens: omnium maxime opinioni Hei-
neccii obstat, quod Julianus, paucis verbis interpositis, cum re
pro partibus obligata utilem actionem Seruianam et aduerses ex-
traneos et inter ipsos locatores dari docet, vocem extranei tam la-
te, ac ambitus eius patitur, accipit. Nam actionem Seruianam
in debitorem tantum, non etiam tertium quemcunque dari, nemo
facile iuris vel mediocriter peritus serio affirmabit. Quae cum
ita sint, refellendae illi, quam memorauimus, Heineccii ex-
planationi, dudum a P E S L E R O labefactatae atque explosae,
ne actum agam, haud amplius immorabor.

Videamus iam, quid hic I O . V A N D E W A T E R in-
genium parturiat? W A T E R I inquam, qui si tam felix fuisset in interpretando, ac audax fuit in corrigendo, ipsum pro-
fecto C V I A C I V M non aequasset modo, sed longo etiam
intervallo post se reliquisset. Ille igitur, cum putaret hoc
esse

— — — immedicabile vulnus

Ense recidendum, ne pars sincera trahatur,

non soluens nodum, sed secans, interdictique Saluiani lo-
co iudicium Seruianum substituens legit: Si colonus res in fun-
dum duorum pignoris nomine intulerit, ita ut utrius in solidum
obligatae essent, singuli aduersus extraneum Seruiano iudicio recte
experientur: inter ipsos vero si reddatur hoc interdictum, possidentis

* * *

*conditio melior erit. Sane, vix mihi, WATE RE, tempore,
qui tecum ipse interdicto unde vi experiar. Quam vellem
autem, falce sic critica vtens cogitasses:*

Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto

Maior Aristarcho magnus Homerus erat.

Nemini autem tua arridebit correctio, qui animo secundum perpendat, eam non solum a praecedentibus, sed a subsequentibus etiam prorsus esse alienam. Cum enim initio d. t. l. de Saluiano interdicto sermo fuerit **IULIANO**, idemque verbis a te corruptis mox addat: *inter ipsos vero si redatur hoc interdictum, possidentis conditio melior erit, cui vero videbitur simile, Saluiani interdicti loco actionem Seruianam substituendam esse?* Recte **BOEHMERVS** l. c. Particula, inquit, relativa hoc indicat, in praecedentibus quoque de interdicto Saluiano, non de iudicio Seruiano, de quo nec rubrum tituli agit, Idem locutum fuisse. Neque te iuvant Graeci, **IULIANI** verba ita simpliciter vertentes: ἐντερος κατὰ ἔχοντας δρπάσαντος τὸ εἰσαχθὲν δρθῶς οὐκεῖ, utique aduersus extraneum, rapientem rem illatam, recte agit: quod utique all. l. t. conuenienter non de iudicio Seruiano, sed de Saluiano interdicto intelligendum est. Denique nec **VLPIANVS** in l. 10. D. de pign. cuius auctoritate niteris, me vel tantillum moratur. Si debitor, inquit Iustus, res suas duobus singulis pignori obligauerit, ita ut utriusque in solidum obligatae essent, singuli in solidum aduersus extraneos Seruiana vtentur, inter ipsos autem si quaestio moueat, possidentis meliorem esse conditionem; dabitur enim possidenti haec exceptio: Si non conuenit, ut eadem res mihi quoque pignori esset. Si autem id auctum fuerit, ut pro partibus res obligarentur, utilem actionem competere, et inter ipsos, et aduersus extraneos, per quam dimidiam partis possessionem apprehendant singuli. Iam gratis sumis, quod tibi nemo

nemo concedet, VLPIANVM nata πόδα IVLIANVM de-
scripsisse, indeque male colligis, cum apud Vlpianum Ser-
uiana actionis mentio fiat, eandem IVLIANO etiam in d.
l. 1. restituendam esse. Vnde quaeſo tanta tibi diuinandi
vis, sapientia tanta? Ais porro, inscriptionem Vlpianeae
legis 10. D. de pign. eandem esse ac l. 2. D. de Salu. interd.
ſi illic monente CVIACIO non corrupte legatur lib. 70. ſed
73. Quis autem correctionem ſuperſtruere argumento tam
lubrico, et conieſturae, quae mihi quidem videtur esse

Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

Quis enim sponsor nobis erit, codices manufc. qui CVIACIO ad manus fuerunt, et pro libro 70. Vlpiani ad Edictum, cui l. 2. D. de Salu. interd. in Codice Florentino tribuitur, librum 73. quem l. 10. D. de pign. praeſe fert, referunt, codici Florentino preeferendos esse? Ceterum fruſtra notarum compendia, quorum culpa factum fit, ut pro Seruiano iudicio interdictum Saluianum irrepferit, loqueris. Quam falſax enim et lubricum id genus ογισεως fit, iam ab aliis, interque hos a BYNKERSHOEKIO Obs. VII. cap. 21. oſtenſum eſt. Quae cum ita ſint, liceat quaeſo hic etiam mea facere verba Bynkershoekii l. c. Non placent mihi illa ſignandi et notandi arcana, quae nec Tribonianus nec quisquam hominum intellexerit. Quare et hic valeat cum signatoribus auſpex.^{q)} Superēſt PESLERI ſuper hac re in all. Diff. defenſa ſententia. Putat is, IUSTINIANI aeuo IVLIANI partes, poſthabita GORDIANI constitutione, praeualuifſe, eoque minus a recta via aberrare recentiores, qui IVLIANVM ſecuti
inter-

q) De notis praeter alios vid. BERN. WALTHER *Miscell. L. II. c. 12.*
et LEOP. ANDR. GVADAGNI de Florent. *Cod. omni. quae exſtant,*
Pandectar. exempl. parente, Cap. III.

* * *

interdictum Saluianum aduersus omnem rerum oppignoratarum possessorem competere adseuerant, quod quidem adeo dictum nolle, ut si inter hanc PESLERI opinionem, illamque WATERI correctionem necessaria esset optione, hanc ipsam illi multum equidem praeferrem. Frustra primo nititur PESLERVS verbis §. 3. I. de interd. e quibus id, quod ipse vult, nullis fidiculis cogi atque elici potest. Haud dicit IVSTINIANVS, Saluianum interdictum in rem magis, quam in personam conceptum esse, et contra tertium etiam possessorem competere; sed ait tantum: *eoque utitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset*, quod PESLERI opinioni nullum plane praesidium praefat. Magis illi, fateor, suffragari vindetur THEOPHILVS: 'Εάν γάρ, inquiens, ἀγνωμονήσῃ, κατὰ παντὸς κατέχοντος τῷ τοῦ κολωνᾶ πράγματα μηδέπεται τὸ Σαλβιανὸν ιντέρδικτον. Nam si solvere cesserit, aduersus quemlibet bona coloni possidentem Saluiano interdicto agatur. Sed quis interpreti plus credet, quam ipsi Iustiniano? cui riuius magis arridebit, quam fons, vnde ille ducitur? Neque silentio praetereundum est, quod multis argumentis in Praef. ad Theophil. §. 46. docuit GVIL. OTT. REITZIVS, scilicet paraphrasin illam a THEOPHILO auditoribus suis in calamum dictatam, neque ab ipso aut sub incudem reuocatam, aut editam fuisse, quod ipsum etiam p. 1059. et 1067. repetit. Quis iam paraphrasi illa contra ipsa legum iuris nostri corpori insertarum scita abutetur, maioremque illi, quam his, auctoritatem tribuet? Dii meliora, quam vt tam peruersam persuaderi nobis sententiam patiamur. Incassum denique PESLERVS libros Basilic. in auxilium vocat. Perfunctorie admodum illi GORDIANI rescriptum sic vertunt: 'Ομὲν μισθώσας ἔχει ἀγωγὴν τῷ παραγγέλματος Σαλβιανᾶ κατὰ τῶν ὑποκειμένων ἀντῶ γραμματῶν

$\muάτων$ τε $\muάθωτε$. Locator actionem interdicti Saluiani habet
 aduersus res conductoris sibi pignori obligatas, quibus ex verbis
 frustra opem PESLERVS atque auxilium petit. Cum au-
 tem iudicem in versione I. 1. D. de Salu. interd. extramei etiam
 mentionem faciunt his verbis: ἐκάπερος κατὰ ἔξωτις ἀρ-
 πάσαντος τὸ ἐπαχθέν, ὅρθας ινεῖ, uterque aduersus extra-
 neum, rapientem rem illatam, recte agit, quis quaeso non vi-
 det, illos IVLIANVM secutos esse, eiusque sententiam
 κατὰ πόδα, vt aiunt, expressisse? Profligatis sic PESLERI
 copiis restat, vt nostram etiam expromamus sententiam, ve-
 riti, ne quis alias nobis vetus illud oclamet: μημείσθαι
 μὲν ἄρδιον, μημείσθαι δὲ χαλεπόν. Dicam igitur sine am-
 bagiis, vnicie mihi in GORDIANI rescripto acquiescen-
 dum videri. Haud profecto frustra per I. 4. D. de Conf.
 Princ. monemur: Constitutiones, tempore posteriores, potiores
 sunt his, quae ipsas praecesserunt, neque sine summa ratione
B.
 H. REINOLD. Opusc. p. 557. An quisquam, inquit, adeo
 ineptus est, vt sibi persuadeat, leges et constitutiones prior-
 res, quamvis per posteriores abrogatae sint, ob hanc tamen so-
 lam causam, quod Iustinianus omnes suas fecerit, quodque illae
 etiam nunc vel in Digestis, vel in Codice existent, eandem cum
 posterioribus vim habere? Sane, quod correctum est caput,
 quamvis in libris Iustiniani superet, et intelligendis Iuris incre-
 mentis valde conducat, legis nomen non amplius tuetur, nec ille
 Princeps eo animo, vt obligaret, id suis legibus adnumerauit.
 Saepius ipse ius antiquum, recentius, nouissimum proponit, tan-
 tum ne quid antiquitatis ignoretur, nouissimo autem nos ob-
 flungi ostendatur.^{r)} Fuerit igitur IVLIANVS in ea
 opini-

r) Nae igitur magnopere falluntur, qui cum WALTHERO Miscellan.
L. II.

* * *

opinione, vt statueret, Saluianum interdictum contra extraneum etiam, seu tertium possessorem competere. Indene sequitur, vt, quod IVLIANO placuit, idem aliis etiam placuerit omnibus? Longo tempore ante GORDIANVM vixisse IVLIA NVM, nemo his litteris vel leuiter initiatius ignorat. Quis autem sic mirabitur, GORDIANVM, spreta IVLIANI sententia, ARISTONI rescriptissle, Saluianum interdictum tantummodo aduersus conductorem debitoremue competere, ideoque aduersus emtorem non interdicto, sed Seruiana, vel quae ad exemplum eius instituitur, actione experiundum esse. Datum fuit hoc rescriptum PIO et PONTIANO Coss. adeoque non anno 239. ad quem vulgo refertur, sed anno 238. (vid. P. RELANDI Fast. p. 181.) a GORDIANO III. principe optimo, de quo sic scribit CAPITOLINVS in vit. eius, cap. 23. Quare adolescens Gordianus, priusquam ad bellum proficseretur, duxit vxorem filiam Misithei, doffissimi viri, quem causa eloquentiae dignum parentela sua putauit, et praefectum statim fecit, post quod non puerile iam et contemptibile videbatur imperium, siquidem et optimi socii consiliis adiuuaretur, et ipse pro pietate aliquantulum saperet, nes per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantia, vel conniventia venderetur. Quoties de iure responderit, docent rescripta, quorum index exhibetur in WIELINGII Iurispr. Resistut. p. 74. Ind. Leg. Cod. ^{s)}) Quantum ICTIS detu-

L. II cap. 17. p. 68. et HV B. GIPHANIO in Praef. ad Explanat. difficult. et celehr. Leg. Cod. p. 6. inter ius Digestorum, Institutionum, et Codicis concordiam esse, nec alterum ab altero corrigi statuant.

^{s)} Quo loco hoc rescriptum cum multis aliis dicitur esse ex constitutio-
nibus M. ANTONINI GORDIANI IVNIORIS, cum potius dicendum
esset

detulerit, vel ex l. 5. C. ad exhib. videre est, vbi
MODESTINVM inuidendo mactat elogio, *Ad exhibendum*, inquiens, *actione non tantum eum, qui possidet, sed etiam eum teneri, qui dolo fecit, quo minus exhiberet, merito tibi a non contemnendae auctoritatis Iurisconsulto Modestino responsum est.* Quodsi quis autem rescripta singula diligentius inspicere voluerit, ille nullo intelliget negotio, quantam spirent iurisscientiam atque aequitatem, cui quidem GORDIANVS adeo deditus fuit, vt ipsam etiam publico nummo, cuius effigiem in fronte huius libelli dedimus, celebrare hanc dubitauerit. ^{t)} Quae cum ita sint, quis credat, GORDIANVM aut iniqui aliquid rescripsisse, aut ius commune nesciuisse, et ARISTONEM de iure, quod tunc erat, interrogantem fefellerit? Absit, vt eiusmodi quid in mentem nobis veniat, aut imperatoris posterioris auctoritatem prae ICTi anterioris opinione singulari spernamus fastidiamusque. Non vnumur ergo nos eo, quod IULIANVS scribit: *Si colonus res in fundum duorum pignoris nomine intulerit, ita ut utrique in solidum obligatae essent, singuli aduersus extraneum Saluiano interdicto teste experientur.* Quod autem ait: *inter ipsos vero si reddatur hoc interdictum, possidentis conditio*

F 2

melior

esset GORDIANI III. vid. CAPITOLINI *Gordianos tres, seniorem scilicet, iuniorem, et tertium,* (inter Script. Hisp. Aug. T. II. p. 74. Ed. Hack.) et HEIN. Hisp. Iur. L. I cap. 4. §. 320. itemque GER. VAN WESSEL. Diff. de Sanct. iudicior. ab Imp. Rom. part. restitut. part. labefact. §. 19. (in Thef. Non. Diff. Belg. Vol. II. p. 320.) Ceterum de quaestione, tresne fuerint Gordiani, an quatuor? conf. RACHIE Hisp. Iur. p. 432.

t) De aequitate, nummis celebrato, conf. etiam KLOTZIVS in Opus*Cœ*
Numerar. p. 257.

* * * * *

melior erit, in eo ipsi suffragatur **V L P I A N V S** in **I.**
2. **D.** eod. In Saluiano interdicto, si in fundum communem duorum pignora sint ab aliquo inuecta, possessor vincet, et erit eis descendendum ad Seruianum iudicium. Pergit **I V L I A N V S:** At si id actum fuerit, ut pro partibus res obligaretur, utilis actio et aduersus extraneos, et inter ipsos dari debebit, per quam dimidias partes possessionis singuli apprehendent. Idem seruari conuenit, et si colonus rem, quam cum alio communem habebat, pignoris nomine induxerit, scilicet ut pro parte dimidia pignoris persecutio detur. Cur autem tunc Seruiano quidem iudicio locus est, Saluiano interdicto non aequem? Rationem reddit **M E R I L L I V S Obs. L. II. c. 29.** hanc, quod, qui agit interdicto, agat de tota possessione, et de commodo possidendi, quod per partes scindi nequit; actio hypothecaria seu quasi Seruiana autem, licet possessionem avocet, **I. 66. D.** de enīst. rem ipsam tamen, seu ius hypothecae, quod per partes scindi potest, persequatur.

C A P V T VII.

De usu interdicti Saluiani forensi.

Vtilissimum in foro etiam esse Saluianum interdictum, haud profecto negabunt ii, qui sciunt, in actione Seruiana probandum esse, rem et tempore factae oppignorationis in dominio debitoris, et legitime oppignoratam fuisse, in interdicto Saluiano contra sufficere, illationem et oppignorationem probari, ceu ex **I. 1. D. h. t.** recte colligit **HEINECCIVS I. c. §. 353.** Intercedit hic quidem **IO. SCHILTERVS Exerc. ad. Pand. 47. §. 76. sequ. existimans,**

stimans, postquam iure Romano nouissimo vetus interdicendi ratio sublata sit, in eiusque locum actiones successerint, hypothecariam actionem ex iudicio Seruiano et interdicto Saluiano conflatam, nullumque inter haec remedia in foris nostris discrimen superesse. Enim uero dudum SCHILTERO sese opposuit LEYSERVUS *Med.* ad *Pand. Sp. 511. Med. 1. et 2.* recte monens, et si pri-
stina interdicendi forma hodie cessa^t, remanere tamen etiamnum hoc, quod in actionibus ex interdictis oriundi breuius atque celerius procedatur, probationesque et exceptiones, quae altioris indaginis sunt, in peritorium iudicium differantur, quamquam idem *Med. 3. et 4.* contendat, eas exceptiones, quae ex ipsa negotii natura ipsoque instrumento obligationis fluunt, e. g. excussionis, haud impleti modi, et si altioris sint indaginis, tamen in interdicto Saluiano quoque locum inuenire. Nec silentio praeterreunda est cautio, a LEYSERO *l. c. in Coroll. p. 767.* suppeditata, ut scilicet creditor pignus persecuturus interdictum Saluianum cum actione hypothecaria alternatiue in libello coniungat, quo facto iudex illud remedium, quod actori magis proficuum est, eligere debeat. *L. 66. D. de Iudiciis.* Ceterum conf. VINNIUS *Sel. Iur. Quaest. L. II. c. 39.* Nescio iam, an addam, MENCKENIUM quoque in *Syft. iur. ciu. sec. Pand. h. t.* itemque BERGERVM in *Oecon. Iur. II. V. 12.* testari, ab vsu haud recessisse Saluianum interdictum, neque adeo moror illos, qui forte nos hac scriptione laborem inutiliem suscepisse criminabuntur, quosque ego omnes, tamquam iudices iniquos ac imperitos,

Discipularum inter iubeo plorare cathedras.

COROLLARIA.

- I. Sapienter olim Aegyptii quotannis, vnde quisque viueret, explorabant, in eosque, qui hoc indicare non poterant, animaduertebant.
- II. Haud mala est Flandrorum consuetudo, qua de contractibus in taberna vinearia contractis ante meridiem in sequentis diei recedere licet. Vid. N I C. B V R G V N D V S in Praefat. *Consuetud. Flandriæ.*
- III. Aequitas interdum ipsa lege durior est. vid. T R E V E R V S ad P V F E N D O R F. Cap. 17. §. 12. et V. C. 10. C O N R. STIGLIZ in font. iur. ciu. pag. 7.
- IV. Haud displicet sententia A N D R. G V I L. P A G E N S T E C H E R I *Aduersar. L. I. c. 1.* actionis funerariae fundatum non negotiorum gestionem, sed factum defuncti mandatum esse.
- V. De apibus nuper exposituro commode in manus veniebat I O D. W I L L. R E S E L L I A N I *Dialysis IV. Libror. in Georgic. Virgilii.* Sed cum ill. S E G E R I eadem de materia dissertationem viderem, statim mihi illud M A R T I A L I S succurrebat:
- Scribamns epos: coepisti scribere: cessi.
- VI. Ait quidem V L P I A N V S in l. 6. D. de his, qui sui vel al. iur. *Si singamus, absuissse maritum, verbi gratia per decennium, reuersum anniculum inuenisse in domo sua, placet nobis Iuliani sententia, hunc non esse mariti filium.* Nihilofecius

secius tamen in Anglia pater habetur etiam is, qui per decennium absuit, si modo quatuor maria, quibus Britanni cinguntur, haud transferit. vid. CHAMBERLAN. in nouiss. stat. Angl. I. 18. Nae si vila in re, hic certe fictione opus est.

VII. Saepe quaesui, qui fiat, ut mater vulgo plus liberos amer, quam pater. Ingeniosa tamen magis, quam vera videtur ratio, quam suppeditat MENANDER apud STOB. Serm. 74.

"Εσω δὲ μήτηρ Φιλότενος μᾶλλον πατρὸς,
Η μὲν γὰρ ἀντῆς ὁδεν ὑιὸν, ὁδὸς ὀιεταρ.

*Mater magis amat liberos, quam pater;
Suum enim ipsa filium certo cognoscit, ille putat.*

VIII. Haud male olim HONORIVS vetuit cingulum militare in aula sumere eos, qui Christiani haud essent. conf. ALB. RUBENIVS de vit. Mallii Theodori, p. 76.

IX. Quod vulgo calculum seu suffragium MINERVAE (graece legem *Ισοψηφας*) dicimus, nomen habet ab opinione veterum, qui inter pares iudicium sententias suffragium MINERVAE pro reo accedere existimabant, quae de praeter BOECLERI et WESTENBERGII Dissertationes vid. ALTESERRA de fid. iur. Tract. III. c. 17.

X. Maxi-

X. Maxima cuilibet iudici danda est opera, ne eiusdem delicti reprehensor et auctor fiat, et ne quis ipsi iure illud

IVVENALIS II. 26. occinat:

Quis coelum terris non misceat, et mare coelo, o snojib

Si fur displiceat Verri, homicida Miloni,


Clodius accuset moechos, Catilina Cethegum?

aut illud OVIDII Faſt. VI. 647.

Sic agitur censura, et sic exempla parantur,

Cum vindex, alios quod monet, ipſe facit.





ULB Halle
004 758 501

3



Sb







1773,42. 4.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
 DE
SALVIANO INTERDICTO
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
 P R A E S I D E
IOSIA LVDOVICO ERNESTO PÜTTMANNO
 I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORD
 NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
 V T A D I T V M
 A D
SVMMOS VTRIVSQVE IVRIS HONORES
 S I B I A P E R I R E T
 DISCEPТАTIONI ERVDITORVM PVBLICAE
 A. D. IV. NOVEMBR. MD CCLXX X III
 H. L. Q. C
 P R O P O S I T A
 PHILIPPO HENRICO LASTRO
 H A M B U R G E N S I



LIPSIAE, EX OFFICINA LANGENHEMIA.